BIBL.

Nobilissime, Amplissimeque D. Zulichem,

Scis illud poetae Hispani, Cui est cũ foedis MARTIALIS vitijs,

Æstate pueri si valent satis discunt.

Liceat παρῳδιάζειν de me ipso, mente longè aliâ:

Æstate corpus si valet, satis scribo.

Quod nunc, cum maximè vellem, minimè valui, quia non valeret corpus. Penè enim tres menses adversa detinuit valetudo. Et vix morbus reliquit, cùm invasit uxorem alius, illam animae dimidiũ meae. Nempe mala sene malam sequi aetatẽ solent: quod si in temperantibus fiat, quid de caeteris sperandũ? Nec tamen animus sivit, ut prorsus Vacunae litarem. Limavi libellũ, quem antea scripseram, de genere et annis Christi. Exemplar ad te mitto, quandoquidẽ soles

Meas esse aliquid putare nugas.

Vale vir bono nate publico, ac nos ama porro.

Amstelodami. cIↃIↃc~~XX~~XLIII. Postr. Non. Xbris.

Tuus totus

Gerardus Joannes Vossius.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3433

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3433

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3433

Nobilissimo et Amplissimo
Constantino Hugenio, Equiti,
Domino in Zulichem, Arausionensi
Principi a secretis et consiliis

Hagae-Comitis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3433